

32
bellum suscepit, in eoque occubuit. Dux filiarum ei fuerunt, quarum alteram C. Sulpicius Galba duxit, alteram C. Gracchus, ut Plutarchus loco citato testatur. *V. eosd.*

AP. CLAUDIVS Ap. f. Cos. fuit cum Q. Metello Macedonico anno U. DCXI. Injussu populi de Salaffis triumphavit. Anno DCXVI. cum P. Cornelio Lentulo Censor fuit. Biennio post Princeps Senatus lectus est: Duas item ex Antistia uxore filias suscepit, alteram in matrimonio Ti. Gracchus habuit, altera Virgo Vestalis pietate erga Parentem clara, curam, quo ille triumphans vehebatur, conscendit, ne Tribunipl. triumphare illum vetarent. *V. eosd.*

C. GRACCHVS. C. Sempronius Gracchus, Ti. Gracchi Consularis, Cenforii, & Triumphalis Viri, & Corneliae filius, Ti. Gracchi frater, Orator optimus ab Opimio Cos, dum tertium Tribunatum peteret interfectus est. Ineptum est plura de hoc viro dicere, cuius Vitam diligentissime scripsit Plutarchus.

A . D . A . I . S . Assignari Dari Agri Jura Statuerunt: Solemnis formula agraria. Siculus Flac. de Condit. Agror. *Inscriptiones in Centuriis frequenter invenimus tales DATVM ASSIGNATVM singulis personis certum modum: & ne a nostris recedamus, idem Flaccus. In quibusdam regionibus Fluminum modus assignationi cessat, in quibusdam vero subsceivus relictus est; in aliis autem exceptus, inscriptumq: FLVMINI ILLI TANTVM, ut in Pisarensi comperimus DATVM ASSIGNATVMQ. VT VETERANO.* Hinc in fragmento legis Thorix in Grut. pag. CCl. III VIR A . D . A . III Viri Assignandis Dandis Agris; quas notas miror doctissimum Scaligerum inexplicatas praterisse.

* X I V.

Spuria hæc Inscriptio existasse dicitur prope saluberrimum Valuculae fontem, septimo a Pisauo lapide Ariminum versus ad litus maris. Eam ideo Pisarensum marmorum censui adnumerare libuit, licet non ignorem a Grutero inter Spurias pag. IV. n. 3. ex Appiano referri, & Romæ extra Portam Flaminiam esse prodi, itemque a Gudjo paullo immutatam p. CCCLXXIV. 6., & Faleriis collocari.

X V.